

Et commotus est venter meus. Hebr. ותרגז a רגז *conci-*
tatus & commotus fuit animo & corpore. De commotione tali
 legitur vox Ex. XV. 14. *Audient populi,* (quod inductu-
 rus sis populum tuum in Canaan) ירגזון *commovebuntur,*
dolor apprehendet habitatores Palestinae. Deut. XXVIII. 65.
 Comminatus est DEVS Israelitis, quod eo tempore, quo
 ob peccata inter gentes dispergentur, ipsis dare velit cor
 רגז *tremens, pauescens.* Sic h. l. commovetur Propheta,
 cum tremenda DEI opera eo tempore perpenderet, quo
 iussus erat, Judæis vastationem & captiuitatem indicare.

Ad vocem tremuerunt labia mea. Ad vocem meam,
 qua iam canto. Vox צללל denotat *tinnire,* diciturque
 proprie de cymbalis 2. Par. V. 12. &c. deinde de *tinnitu au-*
rium, qui ex fama mali oritur, usurpatur. 1. Sam. III. 11.
 dicit DEVS ad Samuelem: *Ecce facturus sum rem in Israele,*
quam quicumque audierit, tinnient (הצלינה) *illi ambæ aures*
eius. Conf. 2. Reg. XXI. 12. Jer. XIX. 3. In nostro loco
 de tinnitu dentium intelligenda sunt, quæ Propheta de
 tinnitu labiorum dixit. Mens Prophetæ est, quod hæc
 cantet voce tremula & perterrita, quod a DEO iussus sit
 expectare diem calamitatis, & ad populum Judaicum ire,
 ipsique indicare vastationem.

Mæror in ossa mea. Hebr. רקב est *putredo* Job XLI. 18.
in lignum רקבון *putredinis.* Per metaph. *mærorem ossa exe-*
dentem denotat. Prov. XII. 4. *Mulier fortis est corona mari-*
to suo, וברקב *sed vii putredo in ossibus, est (mulier) pudore affi-*
ciens. adde Prou. XIV. 30.

Et sub me commotus sum. Hebr. ותחתתי & *sub me,* i. e.
 inferiora mea, vel pedes mei commoti sunt. Quæ quid
 contingit terrore perculsis.

Quia expectare debeo diem angustia. Hebr. אשר אנוח
quia quiescere debeo ad diem angustia. Sed נווח *quiescere us-*
 que